


» Soldados y sus siervos. Decia al uno, que se ausentase, y se ausentaba; al otro, que viniese, y venia. Otro modo de arrojarlos es manifestarlos en la confesion.

56. » La castidad incluye la pureza del alma, y la del cuerpo. Se consigue, y se conserva con la mortificacion de la carne, y la practica de las buenas obras.



LAS SENTENCIAS DE LOS PADRES

CONTENIDOS EN ESTE TOMO IX.

COMO SE HALLAN

EN LA LENGUA LATINA.

SENTENCIAS ESCOGIDAS.

DE SAN CESAREO.

Correspondientes al Capítulo I. Artículo IV.

I. **Q**uod tunc in Abraham corporaliter legimus factum, spiritualiter in nobis videmus impletum: *Egredere*, inquit illi Dominus, *de terra tua & cognatione tua, & de domo Patris tui.* Hæc omnia per Sacramentum Baptismi in nobis & credimus, & sentimus impleri. Terra nostra caro est: bene de terra nostra egredimur, quando carnales consuetudines deserentes Christi vestigiis inhæremus... De cognatione nostra egredimur, quando per gratiam Baptismi omnibus peccatis & vitiis vacuumur.... Bene diabolum patrem relinquimus, si Deo auxiliante, calliditates & necessitates, & nequitias illius vitare semper vel fugere studeamus. (*Append. Serm. 3. S. Aug. Tom. 5. Oper. S. Aug. 1683.*)

II. Diabolus non persequitur nisi bonos; malos enim, luxuriosos, cupidos & superbos persequi diabolus non consuevit: amici enim sunt sui, & semper voluntatem illius faciunt. (*Ibid. Serm. 17.*)

III. Sicut enim quoties nimio frigore aqua constringitur, solis calore superveniente resolvitur, & discedente eodem sole iterum obduratur: ita nimirum peccatorum frigore refrigescit charitas multorum, & velut glacies obdurantur; & cum eis iterum calor divinæ misericordiæ supervenerit, resolvuntur; ille utique calor, de quo scriptum est: *Non est, qui se abscondat à calore ejus.* (*Ibid. Serm. 22.*)

IV. De istis rebus, quæ sunt Deo notæ & nobis incognitæ, periculosè nostros proximos judicamus. De ipsis enim Dominus dixit: *Nolite judicare, ut non judicemini.* De illis vero, quæ aperta sunt & publica mala, judicare, & redarguere, cum charitate tamen & amore, & possumus & debemus; odio habentes non hominem, sed peccatum. (*Ibid. Serm. 66.*)

V. Virgines, quæ integritatem corporis, Deo auxiliante, custodiunt, totis viribus cum Dei adjutorio laborare contendunt, verbositatem fugere, detractionem vel murmurationem. Velut diaboli venena respuere, invidiæ, superbiæque morbum quasi hostis gladium pertimescere, obedientiam humiliter custodire, nunquam senioris præcepta contemnere, lectioni & orationi insistere; si infirmitas non prohibet, ad vigiliis cum omni alacritate consurgere, sive in oratorio, sive in alio quolibet loco. (*Ibid. Serm. 79.*)

VI. Justitia vera & perfecta, ipsa est quæ non facit aliis quod sibi non vult hominibus. Quæ omnibus hominibus, quod sibi vult, optat... Quæ pro amore Dei, non solum amicos, sed etiam ipsos diligit inimicos. (*Ibid. Serm. 89.*)

VII. Purgatorius ignis durior erit quam quidquid potest in hoc sæculo poenarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri. (*Ibid. Serm. 104.*)

VIII. Quotiescumque aut dies Natalis Domini, aut re-

liquæ festivitates adveniunt, ante plures dies, non solum ab infelici concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinete. Ab omni iracundia vos alienos efficite; peccata præterita per eleemosynam & poenitentiam ridimantur... sed dicit aliquis: *Ergo amicos & parentes non debeo ad convivium invitare.* Rogandi sunt & parentes & vicini, sed rarius rogandi sunt; & non nimis sumptuosa & deliciosa, sed tam parca & sobria vel honesta illis debent convivia preparari, ut remaneat unde possint pauperes refici, unde possit aliquid indigentibus erogari. (*Ib. Serm. 116.*)

IX. Sic jejunemus ut prandia nostra pauperibus erogentur; ut quod pransuri eramus, non in nostris sacculis, sed in visceribus pauperum reponamus. (*Ib. Serm. 142.*)

X. Non solum Martires, sed etiam ipsum Dominum cum ipsius ad adjutorio, si volumus, possumus imitari. (*Ibidem, p. 225.*)

XI. Potest aliquis dicere, non possum jejunare, non possum vigilare. Nunquid potest dicere, non possum amare? Potest dicere, non possum res meas totas pauperibus donare, & in Monasterio Deo servire: numquid potest dicere & non possum diligere? (*Ib.*)

XII. Ipsi soli sufficit talem esse, qualis de Baptismi Sacramento processit, qui statim post acceptum Baptismum de hac luce migraverit, non habuit spatium in quo se bonis operibus exerceret; ille vero qui & longum tempus vivendi, & ætatem posse bene operandi habuit, non ei sufficit otiosum esse à malis, si etiam à bonis voluerit esse otiosus. Per Baptismum enim vacuati sumus ab omnibus malis; sed Dei gratia bene agendo debemus repleri omnibus bonis: ne forte si sine operibus bonis de solius Baptismi Sacramento confidimus, spiritus immundus qui de bonis, per gratiam Christi expulsus est, revertatur; & si nos à nobis operibus invenerit vacuos, adducat secum septem spiritus nequiores se, & fiant novissima nostra pejora prioribus. (*Ib. Serm. 263.*)

XIII. Symbolum vel Orationem Dominicam & ipsi tene-
te, & filiis vestris ostendite . . . filios, quos in Baptismo ex-
cipitis, scitote vos fidejussores pro ipsis apud Deum extitisse: &
ideo tam illos, qui de nobis nati sunt, quam illos, quos de
fonte excipitis, semper castigatæ atque corrigite, ut caste, jus-
te & sobrie vivant. Et vos ipsos ita agite, ut si vos filii vestri
imitari voluerint, non vobiscum in igne ardeant, sed simul vo-
biscum ad præmia æterna perveniant. (*Ib. Serm. 165.*)

XIV. Omni die Dominico ad Ecclesiam convenite. Si enim
infelices Judæi tanta devotione celebrant Sabbatum, ut in eo
nulla opera terrena exercent, quanto magis Christiani in die
Dominico soli Deo vacare, & pro animæ suæ salute debent ad
Ecclesiam convenire? Quando ad Ecclesiam convenitis, pro pec-
catis vestris orate. In Ecclesia stantes nolite verbosari, sed lec-
tiones divinas patienter audite. (*Ib.*)

XV. Si non habes peccatum quod non tibi indulgeat
Deus, licet tamen forte, potes dicere quod non velis indulge-
re proximo tuo. Si vero incomparabiliter plus peccasti in Deo,
quam in te peccaverit homo, quare jubente Domino, non di-
mittis parum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum. (*Ib.*
Serm. 274.)

XVI. Qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ
celebrare, usque quo Oratio Dominica dicatur & benedictio
populo detur, humiliato corpore & compuncto corde se debet
in Ecclesia continere. (*Ib. Serm. 281.*)

XVII. Hoc semper & pro nobis & pro omnibus aliis sup-
plicemus, ut nobis Deus hoc dignetur concedere, quod novit nos-
træ animæ convenire: ante omnia Orationem Dominicam in
oratione dicamus, quia sine dubio libenter orationem exaudit,
quam ipse pro ineffabili sua benignitate instituit. (*Ib. Ser. 283.*)

XVIII. Multi sunt pauperes iracundi, cupidi, superbi, lu-
xuriosi, quibus nihil prodest quod facultatibus sunt indigentes,
cum vitiis & malis moribus sint locupletes; & multi sunt divi-
tes, humiles & mansueti. (*Ib. Serm. 296.*)

XIX. Incomparabiliter plus est quod pro paupere recipis,
quam id quod pauperi largiris. Attende & vide nummum &
regnum. Quid simile das pauperi? Das nummum, & à Christo
recipis regnum; das buccellam, & à Christo recipis vitam æter-
nam; das vestimentum, & à Christo recipis remissionem pec-
catorum. (*Ib. Serm. 305.*)

XX. Vos non solum suavitas vocis, sed etiam sensus ip-
sius lectionis teneat occupatos, ut quomodo sonus vocis delectat
in auribus, sic virtus ipsius lectionis dulcescat in cordibus. (*Ib.*
Serm. 284.)

XXI. Sermo quasi speculum propositum; & ideo quomo-
do matrona, quando speculum attendit, in se potius quod tor-
tum vidit corrigit, & non speculum frangit; ita & unusquisque
vestrum quoties in aliqua prædicatione cognoscit foeditatem
suam, justum est ut magis se corrigit, quam contra prædicato-
tem velut contra speculum irasci. (*Ib. Serm. 288.*)

